




JOHN CARTER BROWN  
LIBRARY



Vartan Gregorian  
EIGHTEENTH-CENTURY  
BOOK FUND



14774 14774  
Tenebrio a a 34.260  
August 20th 1900

14774/  
38392

200-  
PBM

JCB  
B-292

2

*Officium S. Ioseph Confessoris.*

DIE IV. APRILIS.

IN FESTO  
SANTTI ISIDORI  
EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

DVPLEX SECUNDÆ CLASSIS.

**O**Mnia de communi  
Confessoris, Pon-  
tificis præter ea, quæ hic  
ponuntur propria.

*Ad Magnificat in  
utrisque Vesperis.*

*Antiph.* O Doctor opti-  
me, Ecclesiæ sanctæ lu-  
men B. Isidore, Divinæ  
legis amator, deprecare  
pro nobis Filium Dei.

*Oratio.*

**D**EUS, qui populo  
tuo æternæ salu-  
tis beatum Isidorum mi-  
nistrum tribuisti: præsta

quæsumus, ut quem Do-  
torem vitæ habuimus in  
terris, intercessorem ha-  
bere mereamur in Cœlis.  
Per Dominum.

*In primo Nocturno.*

*Lectiones.* Sapientiam  
omnium antiquorum. *De  
communi Doctorum.*

*In secundo Nocturno.*

*Lectio iv.*

**I**Sidorus natione His-  
panus; Doctor Egre-  
gius, ex nova Carthagine  
Severiano Pâtre Provin-  
ciæ Duce natus, à sanctis  
\* Epis-

2

*Festa Aprilis.*

Episcopis Leandro Hispalensi, & Fulgentio Carthaginensi fratribus suis piè & liberaliter educatus, latinis, græcis, hebraicis literis, divinisque, & humanis legibus instructus, omni scientiarum, atque Christianarum virtutum genere præstantissimus evasit. Adhuc Adolescens hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem iampridem invaserat, tanta constantia palam oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab Hæreticis necaretur. Leandro vitâ functo, ad Hispalensem Cathedram invitus quidem, sed urgente in primis Recaredo Rege, magnoque etiam Cleri, Populique consensu assumitur, eiusque electiō nem Sanctus Gregorius

Magnus, nedium auctoritate Apostolica confirmasse, sed & electum transmissio de more pallio decorasse, quin etiam suum, & Apostolicæ sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur.

¶. Inveni David servum meum, oleo sancto meo vnx eum: \*Manus enim mea auxiliabitur ei.

¶. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniqutatis non nocebit ei. Manus.

*Lectio V.*

**I**N Episcopatu quantum fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana, & Ecclesiastica disciplina instauranda solitus, ea que verbo, & scriptis stabilienda indefessus, atque omni demum virtum ornamento insignitus, nul-

*Festa Aprilis.*

3

nullius lingua enarrare sufficeret. Monastici quoque instituti per Hispaniam Promotor, & Amplificator eximus plura construxit Monasteria; Collegia itidem ædificavit, vbi studijs sacris, & lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluabant, eruditivit, quos inter sancti Ildefonsus Toletanus, & Braulio Cæsaraugustanus Episcopi emicuerunt. Coacto Hispali Concilio, Acephalorum hæresim Hispaniæ iam minitantem acri, & eloquenti disputatione fregit, atque contrivit, & tantam apud omnes sanctitatis, & doctrinæ famam adeptus est, ut elapso vix ab eius obitu sextodecimo anno, vniversa Toletana Synodo duorum supra quinquaginta Episcopo-

rum plaudente, ipsoque etiam Sancto Ildefonso suffragante, Doctor Egregius Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus in sæculorum fine doctissimus, & cum reverentia nominandus, appellari meruerit: cumque Sanctus Braulio non modò Gregorio Magno comparaverit, sed & erudiendæ Hispaniæ loco Iacobi Apostoli cœlitus datum esse censuerit.

R. Posui adiutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei.

¶. Inveni David servum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Manus.

*Lectione vi.*

**S**cippsit Isidorus libros Etymologiarum, & de Ecclesiasticis officijs, aliosque quam plurimos

\* 2

Chri-

*Festa Aprilis.*

† Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ adeò utiles, vt S. Leo Papa IV. ad Episcopos Britannicæ scribere non dubitaverit, sicut Hieronymi, & Augustini, ita Isidori dicta retinenda esse, vbi contingit inusitatum negotium, quod per Canones minime definiri possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiæ inter Canonicas Ecclesiæ Leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Concilio Toletano IV. omnium Hispaniæ celeberrimo. Denique cùm ab Hispania Arianam hæresim eliminasset, morte sua, & Regni vastatione à Saraceno-rum armis publicè prænunciata, postquam quadraginta circiter annos suam rexisset Ecclesiam, Hispali migravit in Cœlum anno sexcentesimo

trigesimo sexto. Eius Corpus inter Leandrum fratrem, & Florentinam Sororem, vt ipse manda- verat, primò conditum, Ferdinandus I. Castellæ, & Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hispali dominante magno pretio redemptum Legionem transtulit; & in eius honorem templum ædificatum est, vbi miraculis clarus, magna populi devotione colitur.

¶. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra dœtrina eius repleta est:  
\* Ipse intercedat pro peccatis omnium populo- rum.

¶. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

*In tertio nocturno.*  
Lectio sancti Evangelij se-

Secundum Matthæum.

Cap. v.

Lectio vij.

**I**N illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum vallet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia Sancti Isidori Episcopi.

Ex Lib. 2. Officiorum ad Sanctum Fulgentium.

cap. 5.

**Q**ui in erudiendis, atq; instituendis ad virtutem Populis prærit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subiectos arguere poterit, cùm illi statim possit

correctus ingerere, ante doce te quæ recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus, & doctrina, & opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est. Quia si Episcopus tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porrò si & doctrina, & sermone fuerit eruditus, poterit cæteros quoque instruere, & docere suos, & adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda percutere.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum.

\* Et ad portas Paradisi

coronavit eum.  
¶. Induit eum Dominus  
loricam fidei, & ornavit  
eum. Et ad.

*Lectio viii.*

**H**Vius sermo debet  
esse purus, sim-  
plex, apertus, plenus  
gravitatis, & honestatis,  
plenus suavitatis, & gra-  
tiae, tractans de mysterio  
legis, de doctrina fidei,  
de virtute continentiae,  
de disciplina iustitiae,  
ynumquemq; admonens  
diversa exhortatione,  
iuxta professionem, mo-  
rumque qualitatem, sci-  
licet, vt prænoscat, quid,  
cui, quando, vel quomo-  
do proferat. Cuius præ-  
cæteris speciale officium  
est, scripturas legere, per-  
currere Canones, exem-  
pla Sanctorum iunitari,  
vigilijs, ieunijs, oratio-  
nibus incumbere, cum  
fratribus pacem habere,

nec quemquam de mem-  
bris suis discerpere, nul-  
lum damnare nisi com-  
probatum, nullum ex-  
communicare nisi discus-  
sum. Quique ita humi-  
litate pariter, & auto-  
ritate præesse debet, vt  
neque per nimiam humi-  
litatem suam subditorum  
vitia convalescere faciat,  
neque per immoderan-  
tiam, severitatis potesta-  
tem exerceat, sed tantò  
cautiùs erga commissos  
sibi, quātò duriùs à Chri-  
sto indagari formidat.

¶. In medio Ecclesiæ  
aperuit os eius: \* Et im-  
plevit eum Dominus  
spiritu sapientiae, & in-  
tellectus.

¶. Jucunditatem, & exult-  
ationem thesaurizavit  
super eum. Et implevit.

*Lectio ix.*

**T**Enebit quoque il-  
lam supereminen-  
tem

tem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitatis charitas, locus autem huius custodis humilitas. Habebit etiam inter haec omnia castitatis eminentiam; ita ut mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera. Inter haec oportebit cum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere Peregrinos, captivos redimere, viudas, ac pupil-

los tueri, per vigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere distributione discreta. In quo etiam Hospitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelicum audire desiderant, Hospes fui, & suscepisti me, quantò magis Episcopus, cuius diversorum cunctorum debet esse receptaculum? Te deum laudamus,

*Missa de communi Doctorum cum Credo,*

HIS-

## HISPA NIARVM.

**A**d pias Sereniss. PHILIPPI V. Regis Catholici preces, nec non enixas, humilesque Ecclesiae Hispalensis, aliarumque Ecclesiarum Hispaniae supplicationes Sa. Mem. Clementi Papa XI. porrectas, & ad Sac. Rituum Congregationem remissas, in eaque per Eminentissimum, & Reverendissimum Cardinalem de Belluga relatas, sacra eadem Congregatio benigne indulxit, atque concessit, ut Officium S. Isidori Episcopi, & Confess. cum Lectinibus proprijs II. & III. Nocturni diligenter revisis, atque correctis iam pro Ecclesia universalis sub ritu duplici minori approbatum, in posterum ab omnibus tam Secularibus, quam Regularibus utriusque Sexus, qui ad Horas canonicas tenentur in Regnis Hispaniarum, alijsque Ditionibus Regi Catholico praedito subiectis sub ritu duplici secundae Classis sine Octava recitari, & Missa respectivè de com. Doctorum cum Credo celebrari possint, & debeant, si Sanctiss. Domino nostro visum fuerit. Die 25. Aprilis 1722.

Et facta de praedictis per me Secretarium eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die, & Anno ut supra,

F. Cardinalis Paulinus Praef.

✠ Locus Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiepisc. Apamenus Sac. Rit.  
Congr. Sec.

DIE V. MAIJ.

f,


F,

S,  
te-

—

W-

su-  
im  
io-  
bili  
cū  
lo-  
ca-  
rat  
en-  
tas,  
tas,  
con-



BA700  
C3630

